


S

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
*DE*  
**R A T I O N I B U S**  
**D E C I D E N D I ,**  
**P A R T I B U S E T E A R U M**  
ADVOCATIS NON TEMERE, AUT  
NON INTEGRE COMMUNICANDIS;  
*Q U A M ,*  
CONSENSU ILLUSTRIS ORDINIS JURIDICI,  
P R Ä S I D E  
**D N . I M M A N U E L E W E B E R O ,**  
J Cto, CONSILIAR. HASSO-DARMSTADTINO,  
JUR. PROFESS. PUBL. ORDINARIO, HOC TEMPORE  
FACULTATIS JURIDICÆ DECANO,  
**P R O S U M M I S D O C T O R U M I N U T R O Q V E**  
*JURE DIGNITATIBUS ET PRIVILEGIIS*  
*RITE CAPESSENDIS*  
Ad diem XXII. Julii MDCCXXI.  
P U B L I C A E  
**E X C E L L . D N N . P R O F E S S O R U M**  
CENSURÆ SUBMITTET  
**J O A N N E S N I C O L A U S R Ü C K E R ,**  
MOENO - FRANCOFURTANUS.

---

GIESSÆ, Typis Viduæ JO. REINH. VULPII, Acad. Typogr.

*RECUSA WETZLARIÆ,*  
Per NICOLAUM LUDOVICUM WINCKLERUM.  
ANNO MDCCXXIX.



## PRO O E M I U M.



Uo, tres, quatuor, imò plures, dum faciunt idem, non tamen semper est idem ; id quod, teste veritate & experientia, ut in aliis quotidie contingit : ita quoque elucet ex Actis Forensibus, Rationes, quibus Causæ & Lites deciduntur, sive ab integris Collegiis, sive à privatis Doctoribus (*A*) sapè quam multum inter se distare. Solent enim alicubi nimis esse breves, & nec Legem, nec Doctoris alicujus autoritatem allegare, sed dictatorio velut more & pro imperio decernere, cum tamen JCtus sine Lege loquens erubescere debeat. Aliquando videas, non nisi per Brocardica & generales Regulas responderi, quem pauperum *Doctorum morem* recte vocat Thom. Trivisan. lib. 1. *Decision. in Praefat. num. 1.* Alii in alterum extreum incurrendo, plastra Legum

A 2

atque

(*A*) Hac occasione lubet tangere quæstionem : *An privati alicujus Doctoris sententia eundem effectum habeat, quem habet Sententia Collegii Juridici ?* sunt qui affirmant, & quidem ex hisce rationibus, quia (*a*) pluribus æquè minus ab errore cautum, ac uni, dum Rota & ipsa sàpiuscule rotat : id est, errat, Nevizan. *Sylv. Nuptial.* lib. 5. num. 62. Quia (*b*) egregii Doctores privati nonnunquam feliciter contra integrum Collegium arma induerint, & (*c*) quia etiam privati Doctores de Jure respondendi facultatem obtinuerint, Gomez. *ad tit. Institut. de Action.* §. 2. num. 6. Wesenbec. lib. 1. *confil.* 19. num. 63. Sunt vicissim qui negant, quibus & ego calculum adjicio, in conflictu ad contraria responsurus ero, confer. Gail. lib. 1. *obser-*  
vat. 33. num. 3. Francisc. Stypmann. *de Referendar.* cap. 7. num. 189. Laudabiliter Potentissimus Rex Borussiæ: *Es sollen keine Achten mehr zum Spruch an Privat-Doctores, sondern an ganze Juristen-Facultäten und Schöpfen-Stühle des vielen Missbrauchs halben verschaffet werden. Neu Justif. Reglement Artic. 50.*



atque Auctoratum, etiam in adsertis luce clarioribus, & per se sat evidenter, accumulant, ut eo spissius evadat opus, sat ampla deinceps mercede redimendum. Et, quid de iis dicam, qui *Rationes Decidendi Sententiae inserunt?* Non recte id fieri existimo, tum quod ita Partium Advocatis post publicatam Sententiam ansa cavillandi præbetur; tum quod priscis JCtis id non fuit in usu. Sic Scævola ad longam Facti Speciem in l. 18. §. fin. ff. de annuis Legatis, uno verbo respondit: *competere.* & l. 20. in princ. eod. secundum ea, quæ proponerentur, *deberi.* Et hæc concisa ratio præ re liquis placuit Scævolæ in l. 44. ff. de recept. & qui arbitr. l. fin. ff. de rebus dubiis. l. 122. §. 4. ff. de verbor. obligation. (B) Apparet inde, ni fallor, sat abundè, ut fieri solet, etiam quoad hoc argumentum non omnibus idem esse Judicium; Præterea non indignum meditatione & discussione videtur ζητημα: an, quod communiter propemodum ita fert Judiciorum Praxis, *Rationes Decidendi Partibus* & earum Advocatis promiscue & indiscriminatim, an vero, & quatenus sub certo saltim modo, iisdem sint communicandæ? Hujus itaque argumenti accurasiero investigatio cum sit eo magis necessaria, quo frequentius & gravius in Judiciis hoc in passu pectatur, non abs re fore credidi, si, loco Thematis atque Speciminis, Inaugurali Disputatione id ipsum præ aliis discutiendum mihi sumserim, & Eruditis ad examinandum stiterim. Faxit Deus feliciter!

## SUMMA.

(B) Plura exempla collegit Stypmann. *dict. Cap. 7. num. 333. &c seqq.* Ubi tamen obiter notamus, non satis distinctè loqui virum doctum, quando generaliter pronunciat: *ctorum Collegia, ubi decisivè loquuntur, non opus habere, ut rationes allegent; Sed posse, omissa earum enumeratione, simpliciter Sententiam exponere; eamque esse omnium Doctorum opinionem, ex Asinio, Process. judicial. §. 25. num. 1. Anton. Maria Corat. Commun. Opinion. lib. 2. tit. 9. cas. 23. num. 129.* & ex Praxi probare conatur. Aliud enim est, *Rationes Sententiae inserere, & aliud, eas separatim Sententiae addere.* Prius non licet; licet tamen posterius; imò justè à Judicibus, si velint, exigitur; sin no sint, id ipsis liberum manet; quemadmodum, ut audivi, si quando ex Ducali Dicasterio Auricensi, Frisiæ Orientalis, Acta ad illustrem hancce Facultatem missa veniunt, nunquam rationes, sed solæ sententiae extuntur.

## SUMMARIUS DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

- §. I. Oeconomia Dissertationis.
- §. II. Status Controversiæ.
- §. III. Rationes Dubitandi.
- §. IV. V. Rationes Decidendi.
- §. VI. Thematis per Limitationes uberior declaratio.
- §. VII. Resolutio Dubiorum.
- §. VIII. Dissertationis Epilogus.

## APPENDIX.

Ex Dominici Arumæi *Decisionum lib. 2. decis. 1.*

## §. I.

**N**ethodus elaborandi Themata Juridica varia est, nec unis Legibus adstricta. Tractationem per causas qui perstringunt, vel ex petulantia peccant, vel ad profunditatem Argumenti penetrare se posse desperant, ipsaque re id profitentur. Quid enim est Scientia solida, nisi Cognitio Rei per Causas? Ab hac qui alieni sunt, superficiariè aliquid in chartam conscribillando, rem benè se gessisse sibi persuasum habent. Id equidem concedimus, non superstitione hujuscemodi Tractationis ordini semper inhærendum esse; cum simplicia aliam, aliam item conjuncta seu composita, aliam denique mixta discutiendi rationem requirant; ideo tamen nemo vituperandus est, si cui lumen fuerit, materiam quamcunque juxta Seriem Causarum pertractare, id quod hujus methodi osores per scuticam causalem torquere, durch die Causas durchpeitschen improhè nominant. Nostræ Disputationis Argumentum, dum ad Forum & Praxin indubie spectat, eidem convenienti oeconomia sic pertractabimus, ut, præmisso Statu Controversiæ, vasis Rationibus Dubitandi, Decidendi

Causas subnectamus, tandemque dubiis, contra nostram sententiam obmotis, nervum incidamus.

### §. II.

Quæstio itaque est: An Rationes Decidendi Partibus, aut earum Advocatis, & quidem vel ab ipso Judice, vel à Facultatibus, quæ Acta expediverunt, sint communicandæ? In utramque partem à Magnis JCTis eam disceptari, notum est, & ex sequentibus mox apparebit: Imò vero nimis faciles hac in re esse multos Judices quis ignorat? Et memini, me aliquando in Actis, coram Ducali quodam Dicasterio ventilatis, legisse, quod Partes citatae fuerint, non tantum ad Sententiam, sed & ad Rationes Decidendi audiendas. Sed sine dubio rectius atque tutius agunt Judices, qui contrarium tenentes, Rationes Decidendi & Dubitandi quidem à Facultatibus Juridicis exigunt, ut ex iis cognoscatur, an Litigium diligenter ponderaverint, & Sententiam Actis Jurique conformem dixerint; conf. Author. *Discursus von Justitien-Werk pag. 55.* Winther. loc. citat. num. 15. non tamen temerè, aut saltim non integrè Partibus aut earum Patronis easdem communicent.

### §. III.

Ex eorum numero, qui nobis in hac causa adversum tenent, nominare liceat vel maximè JCTorum alias illustre decus, B. Brunnemannum, cuius momenta prout *Process. Civil. cap. 27. num. 22. item centur. 5. Decis. 60.* habentur, nervosè recensuit & excusavit Dn. Lynckerus *Decis. 945.* (C) Breviter autem hoc redeunt, quæ Brun-

(C) Obiter noto, Dn. Lynckerum fautoribus hujus asserti, *dict. loc. etiam accensere Day. Mevium part. 2. Decis. 385. num. 1. & 4.* Error in allegando facile committitur; sed dubitare liceat, an hujus JCTi ea mens unquam fuerit; siquidem contrarium ex part. 3. *decis. 254.* patet, ubi, *non communicandas esse Partibus Literas Judicis Inferioris ad Superiorum, et si causam concernentes, recte statuit, & quidem ex hac ratione, quod non sicut pars Altiorum, quæ ipsa etiam causa est, quod Rationes Decidendi Partibus litigantibus non sint concedendæ.*

Brunnemannus, pro stabilienda sua sententia, profert: Quia (I.) si justa & sufficiens Ratio Decidendi existat, expressione ejus lites potius amputentur, quam protelentur, & nisi Litigans, aut ejus Advocatus, ab honestate vel concordia fuerit plane alienus, tali rationi sit acquieturus. Quia (II.) ipsa pars victa, Rationibus convicta, facilis cessura sit. (III.) Quodsi autem omnino pars velit appellare, non omnia Puncta, quæ in Prima Instantia otiosè disputata, repeteret opus habeat, sed ista tantum, in quibus ad decisionem adhuc aliquid supersit, hocque modo Lites minuantur. (IV.) Quia Judex, & Collegium Juridicum petenti Judici Rationes reddere teneantur, prout experientia nuperus doceat *Recessus Imperii de Anno 1654.* §. Ob er auch schon die Urtheil 2c. 61. & seq. (V.) Quia etiam Collegio Juridico liceat Consilium suggestere, & consilienti parti respondere. Quia (VI.) Judices ipsi Rationes Sententiae quandoque inferant, eoque casu, facta Publicatione, ad Partium notitiam perveniant; quod cum non sit prohibitum, eccur stare prohibetur? Et quidem (VII.) tum maximè, quando Communicationem Rationum Victor, contra Appellantem devictum, seque in Appellationis Instantia ulterius defatigaturum, urgeat, vid. Lyncker. *dict. Decis. 945. pag. 429.*

### §. IV.

Audiendus nunc etiam Carpzovius, &, quid iste in contrarium adferat, ita scilicet comparatum, ut assensum ipsi denegare omnino nequeamus. Præmittitis, id quod indubitate Juris est: (I.) Subsistere Sententiam, ex Responso Collegii Juridici latam, quantumvis Ratio Decidendi nulla eidem fuerit inserta vel addita. (II.) Sententiis autem Informatoriis Rationes omnino addendas esse, ut sciant Litigaturi, quid sibi expectandum sit. (III.) Posse adigi Collegia Juridica, ut *Judici* petenti Rationes Sententiae à se latæ manifestent. Aliter autem (IV.) se rem habere cum *Partibus*, utpote quibus ex simpliciter denegandæ; ubi graviter monet: quodsi unus vel alter Litigantium in Judicio Sententiae ad pronunciatum JCTorum latæ Rationes ab iis exigat, non modo

modo exhibere eas obstrictos non esse, sed, & occultare teneri, ne pars una, de Rationibus pronunciati informata, aliam facilius vincat, telis sibi suppeditatis ab iis, qui Sententiam dixerunt. *Vix enim (ita pergit) inficias ibit quisquam, Jctos de Juribus Partium respondentibus iis simul patrocinari, si Rationes aperuerint, ac per id Consilium dederint; quod non modo foret contra Juramentum ab Assessoribus praestitum, sed & iniqua hinc profueret confusio Judicis & Patroni, quorum officia ab invicem non parum distant.*

argum. *I. Julianus ait. 17. ff. de Judiciis. I. qui Jurisdictioni. 10. ff. de Jurisdic. omn. Judic. I. unic. Cod. ne quis in sua causa judicer. Francisc. Vivius De- cision. Neapolitan. lib. 2. decis. 223. num. 2. & 3. Carpzov. Process. Jur. tit. 16. artic. 1. §. 8. num. 74. & seqq.*

### §. V.

Præterea adhuc sunt, quæ movere debent, ne Partibus, & earum Patronis, in Communicatione hac gratificetur, id quod ii facile perspicient atque profitebuntur, quibus Acta vel in Judiciis, vel in Collegiis Juridicis frequenter ad manus pervenient. Datur enim Advocatis occasio cavillandi, Lis ex Lite generatur, &, dum non habent, quo Sententiam impugnant, Rationum unam vel alteram in dubium vocant, traducuntque si non veritatis, at tamen litigandi amore, & quo condemnationis effectus retardatur. Addo, quod in *Novissimo Imperii Recessu de Anno 1654. §. 61. & 62.* prudentissime provisum sit, Judices Inferiores, à quo rum Sententia appellatur, Rationes Decidendi clausas & obsignatas ad Judicium Camerale debere transmittere, ut ibidem tamdiu in Cista peculiariter ad id destinata affervari possint, donec Referens earum inspiciendarum Copiam desideraverit; verbis: *Dass der Judex à quo seine Rationes Decidendi zum Cammer-Gericht verpitschirt einschicke ic. Und sollen dieselbe / in einer sonderbar hierzu bestellten Truhen / zu deren dem Collegio der eine / und den Leserit der andere Schlüssel zuzustellen / so lang aufbehalten werden / bisz der Referent derselben vonnöthen haben wird. Quæsumus, hæc quem in finem? Ne scilicet earum contenta Litigantibus ad notitiam perveniant, eisque detur occasio,* istas

istas Rationes calumniandi, Jacob. Blum. *Process. Camer. tit. 52. num. 5. (D)* Breviter omnia complexus est Dn. de Lyncker, cuius verba apponere non tædet: *Dieweil aber/aus mehr erheblichen U:sachen die Observanz bey denen Dicasteriis zu " " beständig eingeführet/ dass allein dem Judici requirenti die Rationes zu erstatten; Und über dieses/ wann es geschichtet/ nicht auch dem einen Theil dieselbe mitzutheilen; Oder auch/ wann der Judex sie nicht begehret/ hinter dessen oder des Gegengarts Wissen/ dem einen Theil nicht damit zu gratificiren; bevorab daraus ein Ansehen einer Partheylichkeit entstehet/ da doch das Collegium sich loco Judicis verhält: daher auch im Reichs-Abschied de Anno 1654. ausdrücklich verschen/ dass dem Richter/ so die Acten eingeschicket/ die Rationes des gesprochenen Urtheils ausgeantwortet werden sollen. So mag der einen Parthey mit dergleichen Ausstellung nicht gewillfahret werden. Gestalt auch hinwieder Brunnemann, Mevii, und anderer Rationes nichts erheben: dict. Decis. 945.*

### §. VI.

Tametsi igitur, ut hactenus demonstratum est, integrè Rationes edi Partibus earumque Advocatis non licet: fieri tamen posse à Judice, & quidem salvo ejus Officio, existimo, sicuti fortè circa membrum aliiquid sive punctum Sententiæ litigandi dubium nascatur, vel obscurum quid videatur, ut petenti ex ea parte dilucidationem subministret. Licet enim, quantum potest, Sententiæ debeat esse claræ, perspicuæ, atque certæ, §. curare autem. 32. *Institut. de Action.* Stypmann. *de Referendar. cap. 7. num. 355.* fieri tamen aliquando potest, ut aliiquid in Rationibus, non item in Sententia, specialiter expressum reperiatur: v. gr. ratione Fructuum, aut Ex-

B

pensa-

(D) *Quando: de ea scribit: Judices inferiores obstrictos esse, ut partibus, si quando ad Cameram provocant, petentibus Rationes decidendi communicent, sive Camerali adversum est; Exiguntur quippe à Judice inferiori, etiam per Compulsoriales, Roding. Pandect. Jur. Camer. lib. 1. tit. 25. num. 21. Dn. de Ludolff Commentat. Systemat. Jur. Camer. pag. 61. 95. & 198. Blum. loc. citat. num. 6. & seq.*

pensarum, ut incertum sit, an Fructus generaliter restituendi omnes? aut cur Expensæ compensatae fuerint? & ita in similibus; Jure dubium non est, posse, imo debere Judicem Partibus ambigentibus ex Rationibus succurrere. Quod si enim declaratio Sententia à Collegio Juridico, quod eam concepit, licet peti potest: non apparet causa, cur non ipse Judex, ex Rationibus Decidendi informatus, idem possit, debeatque, maximè ut Lites abbrevientur, & Sumptibus parcatur. Eius fānē est interpretari, qui dixit, nempe Judicis, Author *Discursus* vñm *Justitien-Werck* / pag. 34. Matthæ. de Afflict. *Decis.* 331. Doctores in l. 6. Cod. quomodo & quando Judex Sentent. profer. deb. item argum. l. 9. Cod. de liberal. caus. l. 1. Cod. de Sentent. & Interlocut. secus est, si Pars una vel altera à Collegio Rationes Decidendi expiscari, vel per Importunitatem exigere velit; id in ejus arbitrio positum non est, cum facilè Prævaricationis Suspicionem incurrere possit; quemadmodum mihi narratum fuit, Annis abhinc non ita multis insulsum quandam, nec Latina callentem, Notarium, tum temporis spectabilem hujus Illustris Collegii Juridici Decanum, adiisse, & Racede (sic enim legebatur ex Schedula) id est, Rationes Decidendi, ad Sententiam ibi latam, zum ersten / zum andern/zum dritten mahl / scilicet instanter, instantius, instantissime, exigisse; sed Responsi loco tulisse: Und wann ihr die Racede tausendmal bitten/ so wird doch niimmermehr was draus; Ihr kōnt aber nach Darmstadt gehen / und vernichten / ob es Thro Durchlācht gnädigst beschlen lassen.

### §. VII.

Supereft, ut paucis adhuc videamus, quid in Receptu habent ex Brunnemann supra adductæ Rationes atque momenta, quibus Carpzovii sententiam, nostro calculo munitam, impugnare tentavit. Regerimus idcirco ad *Primum* & *Secundum*: Sperari quidem posse imo deberi, ab Advocatis & Partibus conscientiosis, atque temeraria Litigia detectantibus, ut, post Rationes Decidendi ob oculos positas, siquidem justæ ac solidæ fuerint, à lite desistant. At enim vero haud dubie quidem id inter pia, vana tamen B. Viri, deside-

desideria referendum, ex quo Rabulisticæ artes quotidie magis magisque invalescunt; quin & plerumque Partes ipsæ, ex rixandi pruritu, cordatis licet Advocatis & bonis Viris aures non præbent, neque fida eorum Consilia sequuntur; ut adeò raro aut nunquam tam plana & efficax ratio à Judice vel à Collegiis Juridicis dari possit, quæ non ad censuram vel strigilem vocetur, atque impudentissime theonino dente radatur. Ad *Tertium* idem penè redit motum. Advocatus, si probus, & Jureconsultus, facile solus inventiet, in quo vel in quibus Punctis Sententia Gravatorialis contra Jus & Factum, breviter contra Acta, impingat, adeoque Ratiōnum manifestatione opus non habet; sin autem improbus & Calumniator, eo facilius occasionem arripiet, unum vel alterum ex iisdem arrodendi, quod forsitan ex suopte ingenio penetrare aut obmovere non potuisset; Ad *Quartum* appetet, consequentia Rationem hic deficere; siquidem non idem Parti licet, vel ejus Advocato, quod Judici, neque ad idem Jus isti habent, quod Judici competit, utpote cui Rationes Decisionum, sicubi non adjectæ, petenti à Collegiis Juridicis nunquam denegari possunt, prout in antecedentibus id jam demonstratum est. Porro, ad *Quintum*, diversissima esse patet, si quando Judex vel Pars ejusque Advocatus privata Informationis gratia, Consilium aut Responsum aliquod à Facultate expertunt: &, si Acta à Judice ad Collegia transmittantur. Ibi licet, quod hic prohibitum. Ad *Sextum* progrediendo, itidem jam ex præcedentibus patet, morem eum, licet forte alicubi ex vitio scilicet receptum, non probari nec probandum esse, dum Rationes Decidendi Sententia inseruntur, & ad Partium notitiam perveniant. Prohibitum id omnino esse, quin ubique prohibendum, ex suprà dictis erit manifestum. Denique ad *Sep-timum* adducta ratio mentem B. Brunnemanni nec quidquam juvat; neque præcedentibus administrari ullo modo potest. Obstant enim generales, in negativam allegatae, Rationes: Victoria, in Secunda Instantia, potest adhuc anceps evadere; Rationes Decidendi & Dubitandi ex nostra quidem Sententia, non sunt partes Actorum, &c. &c.

## §. VIII.

Potuissent hæc omnia, imo vel debuissent prolixius ventilari; sed quia temporis angustia exclusus fui, &c., ob Praxin Forensem, mihi vix tantillum temporis, nec longiores moras nectere, relatum fuit; itaque Benevolus Lector veniam mihi dabit, & cunctone hoc subitaneo contentus erit. Quoniam vero, ex eo, quo liniolæ hæc prelum jam subierant, antea nunquam visa Decisio celebris olim Academiæ Jenensis Antecessoris, Dominici Arumæi, ad manus pervenit, eaque ad rem præsentem in plerisque apparet; ad ubiorem Thematis dilucidationem, per modum Appendixis, in gratiam Lectoris, eam subnectere placuit.

## APPENDIX, Ex DOMINICI ARUMÆI *Libro II. Decis. I.*

## Sententia.

**S**At Titius in einer wichtigen Sache allbereit vorlängst eine Rechtliche Klag erhoben/ daneben hinc inde von beyden Theilen Beweiz/ und ein grosser Proces nach der Länge geführet worden / bisz darauf endlichen neulichst eine Definitiva, vor Beklagten wider Klägern/ gesprochen/ und in Judicio inferiori vor dem Amtschösser eröffnet worden. Ob nun wohl pro Sententia Judicis præsumiret wird/ und der Richter Rationes & Causam dem Urtheil zu inscirent nicht schuldig: Dannoch aber/ wofern eurem Bericht nach/ die angeregte Sentenz vim Rei Judicatae noch nicht erreicht: sondern/ durch eingewandte Appellation, suspendirt / so sind die Conceptores angedeuter Sentenz/ Amts- und Pflichts wegen/ auch zu Erhaltung ihres Collegii Reputation, auf Anhaltung des Titii, und Darlegung der Gebühr/ Rationes Decidendi dem Juridi-

dici (welcher nach Gelegenheit disfals in seinem Mahnen dieselbe zu begehren verpflichtet) zukommen zu lassen schuldig: Und auf den Fall der Richter / oder auch die Conceptores , sich dessen verweigern wollen/ würden sie von ihrer Obrigkeit/ darunter sie gehörig / mit Ernst dazu nicht unbillig angehalten.  
B. R. W. Anno 1610. Mens. April.

## RATIONES,

Quæ nos in hanc Sententiam permoverunt, has habuimus :

## I.

Quia vel justa, vel injusta Causa ad Cajum absolvendum induci sunt. Si justa, pandere eam utilissimum Litigantibus fuerit; quia ejus expressione facilius eorum animus pronunciato acquiescat, Nevizan. *Sylv. Nuptial. lib. 5. num. 67.* tum honorificum ipfis Consultis fuerit; quod non, quid ipsi velint, sed quid Lex & Religio cogat, (ut pro A. Client. Cicero loquitur) pronunciasse ipsos pateat: Si injusta, nec eam potentibus denegare debent, quia satius est, ejus expressione ad emendationem Sententia perveniri, quam ipsorum negligentia (*qua non raro propter multitudinem Negotiorum veniam mereri solet*, Alexand. Raudens. *volum. 1. Respon. 50. num. 212.*) Jure suo alterutrum Litigantium excidere, ruboremque haud illis incutiet, quod erroris convicti in melius reformari suas Sententias contingat. Nam & hoc veteribus illis JCtis accidisse constat, qui ingenue se corrigi passi sunt, ut Julianus in *l. 19. §. ult. ff. ad SCium Vellejan.* ibid. Cujacius. Papinianus in *l. ult. §. sed cum. 3. Cod. de Furtis.* scripsitque nostri Juris egregius instaurator Justinianus, *nostras Leges emendare nos non piget.* Novell. 127, in princ. & alibi: *Non enim erubescimus, si quid melius etiam horum, quæ, ipsi prius diximus, adinveniamus, hoc sancire, & competentem prioribus imponere correctionem, nec ab aliis expectare, corrigi Legem.* Novell. 22. in *Præfation.* Quare & Cicero graviter ait: *Nunquam præstantibus in Republica gubernanda Viris laudata est in una Sententia perpetua manjo, quorum si vestigiis cursum no-*

strum intendere, quod debemus, cupimus, non ingratum erit ea, que vel inepte, vel minus verè in hac vel illa specie senserimus, ab aliis placide corrigi. Est enim, ut Justinianus ait, quod omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis magis quam mortalitatis sit, in l. 2. s. si quid autem. 14. Cod. de veter. Jur. enucl. Nimis perverse se ipsum amat (scribit August. in Epist. ad Marcell.) qui & alios vult errare, ut error suis lateat: quanto enim melius & utilius, ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admittit errore careant. Vos, qui me multum diligitis, si tales me asseritis, ut nunquam in Scriptis meis errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam Causam suscepistis, facile in ea, me ipso Judice, superanimi: quoniam non mihi placet, cum à meis charissimis talis esse existimor, qualis non sum &c.

## II.

Si Legis auctoritas ita à ratione dependeat, ut sine ea Legis nomen mereri non possit, l. quod non ratione. 39. ff. de Legibus. unde & ejus anima esse prohibetur, argum. l. cum Pater Filios. 77. s. dulcissimis Fratribus meis. 20. ff. de legat. 2. l. adigere jurejurando. 6. s. quamvis nulla persona. 2. ff. de Jur. Patronat. Roland. à Valle quest. 4. num. 1. de Jur. Dot. Anton. Massa Galles. lib. 1. de exercitatione Jurisperitorum num. 44. Sanè nec Sententia autoritatem ullam, nisi Rationibus munita fuerit, habebit: Ea enim Legibus conformis esse debet, l. si expressim Sententia. 19. ff. de Appellation. l. 2. Cod. quando provocare non est necesse. Quo autem modo id Litigantes, si Rationum redditio negetur, scire poterunt? nam ut maximè Consulentes affirment, Sententiam Actis & Actatis conformem esse, cum tamen per eorum negare vel affirmare veritas non immutetur, Pacis à Scala lib. 4. de Consil. Sapient. cap. 20. Anton. Maria Corat. commun. Opinion. lib. 2. tit. 8. inspecc. 2. num. 7. & seqq. haud sanè aliter Dubitantibus suæ Pronunciationis fidem facient, quam expositis, quæ eos moverunt, Rationibus, utque desinant suspicari (ait Pacis à Scala lib. 3. de Consil. Sapient. cap. 20.) illam Jurium omissionem vel imperitiæ negligentievè Specimen, vel inqui fortè affectus velum quoddam esse. Eleganter etiam

etiam Oldendorp. in Affect. Jur. 2. in fin. quemadmodum Moneta non signata ab omnibus habetur suspecta (inquit) & adulterina: Ita Judicis Sententia ab omni ratione nuda multò magis erit suspecta; aestimabiturque iniqua & inanis, l. eleganter. 24. s. qui reprobos. 1. ff. de Pignoratit. Action. l. hæ enim. 3. ff. de suspectis Tutoribus. l. qui Testamento. 37. ff. de excusation. Tutor.

## III.

Ut silentio involvamus, non auctoritate Proferentium, sed Legibus & Rationibus Causas & Sententias metiri oportere, Joseph. Ludovic. Decis. Lucens. 52. num. 13. Johan. Baptist. Magon. in Cynosura Advocatorum, cap. 43. num. 14. Erubescere enim Jctus debet, si sine Lege, Novell. 18. cap. consideremus. s. l. illam. 19. Cod. de Collation. & ibi notata. aut ratione loquatur, Corat. dict. lib. 2. commun. Opinion. tit. 9. cas. 22. num. 122. Nam, ut Plutarchus, in Moralibus ait, non sic parendum est Auctoribus, quemadmodum Pueri obtemperant Pædagogis: sed, quemadmodum Cato, qui Puer quidem Pædagogo jubenti parebat, sed rogabat, quam ob causam id juberet; Ita fides habenda est de Jure respondentibus, si causam idoneam reddiderint. Nec probare soleo, scribit Cicero lib. 1. de Natur. Deor. id, quod de Pythagoreis accepimus, quod ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quereretur, quare ita esset, respondere solitos, ipse dixit. Unde & nostri passim tradunt, quod Doctori, etiam Excellenti, nihil alleganti, non credatur, Roland. à Valle vol. 2. consil. num. 187. Silvat. consil. 25. num. 28. Quin si interdum dubium est, an credatur Literis Principis (ut ajunt) Patentibus, affirmationibusque in eis contentis, Guid. Papæ tractat. de Rescript. & Clauful. in verb. Quæro an credi debeat? ac interdum in questionem ponitur, an credatur Nuncio, cui fidem adhiberi proprium est, Butr. & Panormitan. in cap. cum parati. 19. de Appellation. Balb. Decis. 227. quomodo simplici & nudæ Concipientium affirmationi, in alterius præjudicium, fides præstabitur? Pacis à Scala lib. 4. de Consil. Sapient. dict. cap. 20.

## IV. Et

## IV.

Et ideo non immerito nostrorum Voto in hoc itum : si Collegium dolo aut culpa, *l. Consilit. 47. ff. de Regul. Jur. l. idemque 20. §. si quis ea. 7. ff. Mandati.* vel etiam imperitia male judicavit, poena dignum esse, quoniam imperitia in eo, qui peritiam profitetur, culpæ annumeratur, *l. imperitia. 132. ff. de Regul. Jur. §. præterea. 6. Institut. de Leg. Aquil. Speculat. verb. Consiliarii. de Requisit. Consil. Pacis à Scala lib. 4. dict. cap. 23.* Utque quod aliis perperam consuluerunt, in eorum caput tendat, juxta id, quod Romæ de perfidia Haruspicum Etruscorum à Pueris, Gellius lib. 4. *Noft. Attic. cap. 5.* cantatum refert; Malum Consilium Consultori pessimum. Est enim, ut Græci dicunt, Sacra quædam res Consilium, quod ut libenter accipiendum, cum res postulat, ita & religiosè citraque fraudem dandum, si quis egeat, alioquin non defuturum Numen, quod Poenas repetet ab eo, qui Rem Sacram ac Divinam perfidia violarit, Erasmus *Chiliad. 1. centur. 2. Adag. 14.* Quare & Speculator *dicto loco* Poenam Excommunicationis Consulenti fraudulenter, tanquam Sacrorum Contemptori, ut & Officii Suspensionem & Infamiam imponit: Per imperitiam vero lapsi id, quod interest, injungit, Pacis à Scala *dict. cap. 23.* Quare & in casu nostro, aut pronunciati sui Rationes petenti Titio dabant, aut ut dolo vel imperitia lapsos Poenis suprà dictis se constringi, non iniquo animo ferant.

